

HUMANISSIMI S VI  
RIS, BERENGARIO, FERNANDO  
& Francisco Ferreiro, Legum Doctoris  
bus, atq; præceptoribus suis Pe-  
trus Lagnerius S.



ANTA sunt uestra in me uel studia,  
uel officia, uiri humanissimi, partim ut pu-  
deat toties habere gratiam, partim ut no-  
ua mihi forma non occurrat, qua id faci-  
am. Ego enim uos hactenus habui, cui ca-  
rus & què fui semper ac periucundus, ac se-  
uestrum utriq; essem uel frater, uel filius.  
Itaque ab eo tempore, quo me in familiaritatem uestram & amici-  
tiam contuli, memoria teneo, mihi summam uestram benevolentia-  
m & fauorem nullo loco defuisse, sed saepius etiam recusanti &  
pudenti officium uestrum obtrusisse. Nunc autem quum maxime  
cupiam aliquo officij genere testatiorem animum meum apud uos  
relinquere, nihil mihi in mentem uenit, quo possim quod cupio,  
commode perficere, nisi illud unum, quod uobis omnium credo fo-  
re gratissimum. Faciam, ut beneficia uestra, quibus respondere  
non possum, grata recordatione & memoria colam. Maiora sunt  
enim & illustriora, quam soluendo ijs esse possit tenuis & angusta  
sappellex nostra nisi hoc nobis forte tribuatur. de quo satis confi-  
dimus, ut nos gratiam retulisse, cum habuerimus, existimemur.  
Quod si nobis detur, haudquaquam uereor, quin magna ex parte  
reponatur quod debemus, cum eo uos natos ingenio, & eo iudicio  
esse intelligam, ut ab ijs beneficium accepisse existimetis, quos insi-  
gni alioqui beneficio ornaueritis. Qua nos opinione recreati, non  
dubitamus, quin Similia hæc nostra & Parabolæ, quibus uos ad-  
modum oblectamini, a uobis probentur. Quæ si paricandore, &  
eo, quo a uobis omnia solent, animo accipientur, fructum iam nos  
laboris nostri maximum atque uberem percepimus, Valete Tholo-  
sæ nono Cal. Septemb. Anno M. D. xli.

Q. ii

M. T.